DE FUNDATIONE, FATIS, ANTIQUITATE ET REFORMATIONE MONASTERII LAURACENSIS. -...

Christophorus Matthaeus Pfaff

CHRISTOPH MATTHÆI
PFAFFII,
SACRI CÆSAREI PALATII COMITIS,
S. THEOL. DOCTORIS & PROFESSORIS PRIMARII,
CANCELLARII & PRÆPOSITI TUBINGENSIS,
ABBATIS ITEM LAUREACENSIS

ORATIO
DE
FUNDATIONE, FATIS, ANTIQUITATE & REFORMATIONE
MONASTERII LAUREACENSIS,

Tubingæ d. XII. Maji A. MDCCXXVIII.
in Aulâ Novâ publicè recitata,
cùm
Amplissimi Ordinis Philosophici
DECANO Spectatissimo
facultatem largiretur,
XLI. PHILOSOPHIÆ CANDIDATOS
in
MAGISTROS & DOCTORES
BONARUM ARTIUM
CREANDI.

TUBINGÆ
imprimebat GEORGIUS FRIDERICUS PFLICKE.
A. 1728.



L. S.



Ui ante hoc ſexennium Orationem in actu Magiſterii publico de Egoiſmo, *novâ philoſophicâ hæreſi habitam prælo commiſi, aliam jam* de fundatione, fatis, antiquitatibus & Reformatione Monaſterii Laureacenſis *publicæ luci committo. Eo enim loco, quicquid ad hiſtoriam patriæ, maximè Eccleſiaſticam, pertinet, habeo, ut, quæ heic dici poſſunt, egregia, omnibus cognita eſſe vellem. Exhibeo itaque tibi,* lector benevole, *hanc ipſam orationem, notis meis illuſtratam, longè futuris prolixioribus, ſi excurrere heic, & , quæ ab autoribus ſcripta ſunt, dare omnia voluiſſem. Si plura anhelaveris, illos, quos nomino, facili ſtudio adibis. Quod reſtat, & hæc ipſa, licet levidenſia, æqui bonique velim conſulas. Dedi è Muſæo d. 13. Maji A. 1728.*


Eliberanti mihi, de quonam argumento in solenni hâc panegyri verba ad vos facerem, *Auditores omnium ordinum honoratissimi*, in mentem venit, de Monasterio Laureacensi (a), cujus Abbas haud ita pri-

(a) Monasterium hoc unum est ex illis, quæ ad Serenissimos Wirtembergiæ Duces spectant & quorum possessio in pacificatione Religiosâ & Westphalicâ Iisdem confirmata fuit. Situm est in colle, inter Gamundiam & Schorndorfium, supra Ræmsiam vallem, quam Ræmsa amnis interluit, & ab adjacente hâc in valle pago *Lorch* nomen trahit. Differt à Laureaco, civitate quondam Noricâ, vico hodie à torrente *Laurbach* vel *Lorbach*, quo alluitur, ita nuncupato, Archiepiscopatûs Passavium deinceps translati olim sede, de quâ autores qui scripsere, luculenter recenset J. F. Pfeffingerus in Vitriario illustrato L. 1. tit. 15. p. 1232. sqq. queis velim addas Hieronymi Pez, Monachi Benedictini Mellicensis Scriptores rerum Austriacarum T. 1. f. 1295. sqq. ubi chronicon Laureacensium & Pataviensium Pontificum à Bernardo Norico, Cœnobitâ Cremifanensi Ord. S. Benedicti conscriptum è codice Waldhusiensi exhibetur. Jacet hic vicus ad Danubii & Anasis confluentes sub mœnibus oppidi Ens, infra Lentiam, duodecimo à Patavio sive Passaviâ milliari. Nec minùs differt ab alio Monasterio Laureacensi, quod & antiquis aliâs *Lauresham*,

pridem constitutus fui & quod his ipsis diebus primâ vice adii, deque Monasterii hujus antiquitate, fatis & reformatione pauca disserere. Nec alienum sanè aut incongruum vobisve, *Auditores optimi*, indignum hoc orationis nostræ argumentum est. Qui enim aliâs omnem historiam ejusque scientiam accuratiorem adamamus & exosculamur novimusque fructus amplissimos in omne literarum genus inde redundantes, plurimùm peccaturi essemus, si in historiâ domesticâ & patriâ, ad quam historia Monasteriorum quoque nostrorum quàm maximè spectat, hospites, ea ignoraremus, quæ præ pedibus jacent. Fuit verò Laureacum

 anti-

bam, *Lauresheim*, *Laurissense*, vulgari verò appellatione *Lorsch* dicitur, quatuor ab Heidelbergâ millaribus distans, cujus antiquitates edidit Georgius Helwichius, Chronicon verò, quod Laurishamense dicitur, primus edidit Marquardus Freherus. Confer Scriptores rerum Germanicarum Freherianos à cel. Struvio denuò luci datos T. 1. f. 83. sqq. Ita habentur quoque in Hispaniâ & Galliâ vici, nomen istud latinum ferentes. Mirum est, Monasterium Laurishamense cum Laureacensi nostro confundi ab Arnoldo Henrico de Treskow in diss. de rebus gestis Conradi III. §. 12. p. 55. 56.

antiqua Ducum Sueviæ ſedes jam inde à Pipini Regis Franciæ temporibus, quam circa A. C. 755. Marſilius Dux Sueviæ tenuiſſe & hoc ipſo loco mortuus & ſepultus fuiſſe exiſtimatur (b). Nomen trahit à lauris, quarum heic magna olim perhibetur creviſſe copia. Id certum, ſedem hanc fuiſſe Ducum Suevicorum, qui Imperatores olim Suevos nobis dedere. Caſtrum profectò fuit Friderici, Baronis in Weiblingen & Hohen-Stauffen, primi ex hâc familiâ oriundi Sueviæ Ducis, qui Henrici IV. Imperatoris filiam Agnetem in matrimonio habuit. Hic cum uxore A. 1102. cœnobium hoc fundavit (c) Monachoſque Benedictinos in illud immiſit, additis præſtantiſſimis privilegiis, quæ ab Innocentio II. Pontifice Romano, Friderico I. Barbaroſſâ, Henrico VI. Friderico II. aliiſque Imperatoribus

(b) Vide Martini Cruſii Annales Suevicos P. 2. L. 9. C. 2. f. 307. & in libro paraleip. f. 54.

(c) Diploma fundationis exſtat apud Cruſium in Annalibus Suevicis P. 2. L. 9. C. 2. f. 308. Beſoldum in documentis redivivis Monaſteriorum Wirtembergicorum, edit. Tubing. p. 713. ſqq. & Vindobonenſis f. 441. ſqq. & Franciſci Petri Sueviâ Eccleſiaſticâ f. 536. ſqq.

ribus fuere confirmata & aucta (d). Ipse Fundator Fridericus in templo Monasterii sepultus fuit, cum uxore Agnete, fratribus item Walthero & Ludovico, filiis quoque Friderico coclite sive lusco, ejusdemque uxore Judithâ, Ducissâ Bavariæ, Friderici I. Barbarossæ Parentibus, & Conrado III. Imperatore, veritatem rei perhibente sequente epitaphio Germanico, cujus verba adhuc leguntur:

A. D. MCII. ward diß Closter gestifft.
Hier ligt begraben
Herzog Friderich von Schwaben.
Er und syne Kind,
Diß Closters Stiffter sind,
Syne Nachkömmling ligen auch hiby,
GOtt ihnen allen gnadig sy. (e)

Facile itaque jam illa historicorum lis decîditur, qui de loco sepulturæ Conradi III. Imperatoris dissentiunt. Sunt enim, qui Spiræ (f), sunt &, qui Babenbergæ

(d) Exhibent illa autores modo citati, locis citatis.
(e) Confer Crusii Annales Suev. P. 3. L. 12. C. 35. f. 818.
(f) Ita Otto de S. Blasio C. 4. appendicis ad Chronicon Otto-

gæ vel Bambergæ (g) , sunt , qui Ebe-raci

Ottonis Frisingensis p. 198. *Cunradus Rex moritur, eodem scilicet anno, quo hospitatus est in civitate Friburgensi, Spiram deportatus exequiis regalibus sepelitur, anno regni sui 15.* Ita & Auctor compilationis Chronologicæ seu Chronici S. Ægidii in Brunsvic. T. I. Pistoriano p. 737. & T. III. Leibnitiano p. 585. *Conradus sepultus quiescit in Spirâ.* Eandem in sententiam ferè eunt quoque Lehmannus in Chronico Spirensi L. 5. C. 49. p. 493. & Heineccius antiqu. Goslar. L. 2. ad A. 1152.

(g) Sic refert Otto Frisingensis, frater Conradi III. uterinus L. 1. de gestis Friderici I. C. 63. *Volentibus familiaribus suis juxta Ejus, ut asserebant, petitionem Eum ad Laureacense monasterium deferre ibique in proprio fundo juxta Patrem humare, Bavenbergensis Ecclesia hoc contumeliosum sibi fore judicans non permisit, quinimò convenientissimum & honestissimum & Ecclesiæ illi & Imperio decernens juxta tumbam Imperatoris Henrici, ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Ecclesiæ in loca sancta levatus pro Sancto habetur, regio cultu eum sepelivit.* Adde ejusdem Chronicon L. 7. cap. ult. Ita & continuator Lamberti Schafnaburgensis ad A. 1152. & Wilhelmus Tyrensis L. 17. historiæ rerum in partibus transmarinis gestarum C. 8. p. 914. ubi: *Conradus apud Bavenberg mortuus est, ubi & magnificè in Ecclesiâ majori sepultus est.* Eandem in sententiam scribunt Theod. Engelhusius in Chronico p. 1102. & Crusius in Annal. Suevic. P. 3. L. 8. C. 11. f. 442. itemque L. 12. C. 35. f. 820. ubi refert quoque versus antiquos, inter quos & ille:

Sed Bamberga capit Cunradi Cæsaris ossa,

licet,

raci (h), sunt, qui Magdeburgi (i) sepul-

licet, uti mox videbimus, alibi in Monasterio Laureacensi eum sepultum ajat. Maximè verò hîc conferendus est Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus, quos Vir ill. Jo. Petrus de Ludewig in scriptoribus rerum Episcopatûs Bambergensis T. 1. edidit, L. 3. n. 68. col. 125. ubi hæc quidem ille: *Corpus ejus* (nempe Conradi III. Imp.) *Babebergæ sepulturæ mandatum testantur verba diplomatis Friderici Imperatoris, quibus de donatione Monasterii Altacensis ita scribit:* Tradidimus *inquit*, Altaha cœnobium sanctæ Babebergensi Ecclesiæ ob nostram & Domini & Patroni & Prædecessoris nostri Conradi Regis in prædictâ Ecclesiâ corporaliter quiescentis jugem & perpetuam recordationem. *Idem in alio diplomate obtentum ait Eberhardi Episcopi.* Tradidimus illud Ecclesiæ Babebergensi ob memoriam Domini Patrui & prædecessoris nostri Conradi Regis, qui in illâ Ecclesiâ sepultus est. *Diplomata verò, ut habentur in actis Babebergensibus, data sunt, illud Aquis IV. Idus Martias A. 1152. indict. XVII. hoc Babebergæ III. Non. Febr. anno 1154. indict. II. Idem* Frisæus in Annalibus Franciæ *memoriæ commendavit, nisi quòd intestina Conradi Eberacum, in monasterium ab illo cumulatissimè auctum translata scribit.* Hæc Hoffmannus. Nec negaverimus, Conradum III. Imp. primùm Bambergæ sepultum. Ast ossa ipsius deinceps Laureacum deportata esse ex documentis & monumentis Monasterii, olim quæ exstitere, prorsus constat, quemadmodum & corpus Philippi Imp. è Bambergensi templo, ubi primùm sepultum erat, Spiram deinceps, memorante Conrado Urspergensi & fragmento Urstisiano ad A. 1208. fuit deportatum.

tum ferunt. Sed rectè prorſus habent Conradus Urſpergenſis (k) & Jo. Naucle-rus (l), qui Laureacenſi cœnobio oſſa Conradi III. Imperatoris vindicant; licet juxta tumbam Imperatoris Henrici II. Bambergæ primùm recondita fuerint, ubi inteſtina repoſita, corpus ipſum verò Laureacum tranſlatum alii referunt (m). Reperiuntur verò

(h) In hoc monaſterium, haud procul Bambergâ ſitum inteſtina Conradi tranſlata eſſe Friſæum referre ex Hoffmanno jam didicimus. Pergit verò Hoffmannus l. c. *Contrarium ab hàc ſententiâ tenet Jo. Cuſpinianus & inteſtina quidem Babebergæ juxta S. Henricum Imperatorem recondita, corpus verò Ebraci in cœnobio ſepultum aſſerit.* Idem refert Jo. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad A. 1152. T. 1. f. 425. edit. San-Gallenſis, ubi de Conrado III. Imp. ſcribit, quòd *in monaſterio Ebracenſi, quod ipſe fundaverat, ſepultus fuerit.*

(i) Ita hallucinatur Baronius in Annal. Eccleſ. ad A. 1152. n. 3.

(k) in Chronico ad A. 1152. *Rex vitâ deceſſit ac in monaſterio Loracenſi eſt ſepultus.*

(l) in Chronographiâ Vol. 2. generat. 39. p. 758. *Cunradus III. Imperator Suevus in monaſterio Lorch apud Suevos tumulatus. Cæſarei ſepulcbri honorem & antiquitatem verſiculi probi magis quàm elegantes teſtantur.* Idem referre & Aventinum Hoffmannus l. c. memorat.

(m) Ita habet Chronicon Carionis L. 4. p. 617. Confer

rò & hîc ſepulchra Cunradi, Ducis Bavariæ, Judithæ Bavaræ fratris, Gertrudis Imperatricis, uxoris Conradi III. Henrici, Regis Romanorum, Cunradi, Remboldi, Wilhelmi & duorum Fridericorum, filiorum Cunradi III. itemque Beatricis (n), ejuſdem proſapiæ, duorum itidem Fridericorum & Wilhelmi, Friderici I. Barbaroſſæ filiorum, Irenes (o)

 porrò

hîc prorſus Cruſium Annal. Suev. P. 3. L. 8. C. 11. f. 444. & Beſoldum l. c. f. 443. ubi ex tabulâ quâdam Monaſterii Lorchenſis omnia Corpora ibi ſepulta referunt, Tolnerum C. 14. hiſt. Palatinæ p. 301. & Schatenium in Annal. Paderborn. P. 1. ad A. 1152. Ita certè Cruſius l. c. *Cunradus III. Imp. ſepelitur in tumulo Fundatoris, in Corpore Eccleſiæ, cujus viſcera ſepulta jacent Bambergæ.*

(n) Non eſt hæc Beatrix illa Friderici I. Imp. Conjux, quæ Spiræ ſepulta fuit, referente Ottone de S. Blaſio l. c. C. 27. & Lehmanno l. c. L. 7. C. 11. neque etiam Beatrix, ejuſdem filia, Abbatiſſa Quintilineburgenſis, quæ in monaſterio Michelſteinenſi ſepulta fuit, teſte Epitaphio, cujus verba referunt Leuckfeldius in Antiquit. Michelſtein. & Kettnerus in der Quedlinburgiſchen Kirchen- und Reformations-Hiſtorie p. 291. ſed filia Conradi III. Imp.

(o) De hâc Irene Auguſtâ vel Mariâ Græcâ exſtat Oratio Catharinaria Martini Cruſii Tubingæ 1597. 4. edita, ubi p. 30. de ſepulchro ejus Laureacenſi hoc habet: *Luctu* ob cædem mariti ab Ottone Palatino, comite de

porrò Philippi Imperatoris Conjugis, Isaacii II. Angeli, Imperatoris Constantinopolitani filiæ & Alexii IV. Angeli Imperatoris itidem CP. sororis cum filiæ Beatricis, quæ vix habitis cum Ottone IV. Imperatore nuptiis defuncta est, reliquiis, quarum epitaphium hoc est, Leoninum illud:

Filia formosa, jam cinis, ante rosa.

Acces-

de Wittelsbach occisi *extincta est ipsa & fœtus, abortione scilicet factâ, & de arce Hohenstauffa trans amnem Remsam vecta Lorcham ibi in templo Monasterii magno luctu & splendore est humata. In quo fano familiæ hujus Stauffensis conditoria erant tria in choro ante sacrarium, in quorum sinistro tunc Irenæ corpus depositum fuit. Anno autem 1475. sepulchra Abbate Nicolao de Arberg aperta fuerunt: ossa & calvariæ multæ reperta, multi etiam flavi crines, eaque omnia communi monumento in medio Templi erecto contecta. Duces Sueviæ & Imperatores in columnis pulchrè picti. Inter quos Rex Philippus & Irena tabellam altè tenentes, in cujus medio Christus crucifixus, in dexterâ ejus tabellæ alâ Isaaci immolatio, in sinistrâ serpens elevatus Mosis.* Hæc Crusius. Ita profectò & fragmentum historicum apud Urstisium ad A. 1208. *Regina verò auditâ ipsius morte & sentiens unicum solatium in eo (quia peregrina erat,) perdidisse, & cùm esset prægnans, dolorem dolori cumulans ad Stoup (* Stauffen *) castrum deducta est cum festinatione, ubi post modicum tempus abortum fecit & sic vitam cum fœtu finivit & ad monasterium Lorche deportatur & ibi gloriosè sepelitur.*

Acceſſere & oſſa Reginoldi & Friderici, Ducum Sueviæ, filiorum Philippi Imperatoris, ut ſepulchra nobilium de Schechingen & Wöllwarth hîc ſita taceamus. Habentur & in hoc templo imagines Imperatorum Suevorum columnis adpictæ, quæ vetuſtati & injuriæ temporum, nullâ accedente renovatione, vix hodie reſiſtunt (p). Ita verò inde à primis fundati hujus Monaſterii temporibus cucurrit Abbatum ſucceſſio, ut inde à primo Abbate Harberto uſque ad Benedictum Rebſtockium viginti duo Abbates numerentur (q). Tempore

 belli

(p) Confer Cruſii Annales Suevicos P. 3. L. 12. C. 35. f. 818.

(q) Series Abbatum Laureacenſium hæc eſt:
1. Harbertus ab A. 1102. uſque ad A. 1124.
2. Crafft creatus Abbas A. 1125.
3. Henricus A. 1159.
4. Fridericus I. A. 1194.
5. Conradus A. 1227.
6. Ulricus I. A. 1251.
7. Gebizo vel Gebzo A. 1284.
8. Fridericus II. A. 1296.
9. Ulricus II. A. 1322.
10. Ludovicus I. A. 1333.
11. Ludovicus II. A. 1360.
12. Volcart de Schechingen A. 1364.

13. Vol-

belli civilis ruſtici A. 1525. vixit Sebaſtianus Autenried, Abbas, quo ſedente Monaſterium combuſtum fuit, qui & ipſe à ruſticis occiſus fuit. Succeſſit dein Laurentius Abbas, ſub quo & reædificatum fuit Monaſterium & à Duce Wirtembergiæ Ulrico A. 1535. reformatio cœpta, quæ, licet tempore belli Smalcaldici tantiſper ſufflaminata fuiſſet, tamen deinceps, ſe-

dente

13. Volcart, Georgii de Wöllwarth filius A. 1383.
14. Johannes A. 1399.
15. Wilhelmus A. 1417. Huic mitram conceſſit Felix, Pſeudo-Pontifex Baſil. A. 1440. Vide Cruſii ann. Suev. P. 3. L. 7. C. 2. f. 372. 373.
16. Volkart de Schechingen A. 1441.
17. Nicolaus Schenck A. 1460.
18. Jodocus A. 1477.
19. Georgius Kerler A. 1480.
20. Sebaſt. Autenried A. 1510. ſub quo Monaſterium A. 1525. à ruſticis rebellibus fuit combuſtum.
21. Laurentius A. 1526. Sub hoc Monaſterium denuò exſtructum fuit & reformatio ſacrorum A. 1535. à Duce Wirtembergiæ Ulrico cœpta.
22. Benedictus Rebſtock A. 1549. ſub quo à Duce Wirtembergiæ Chriſtophoro A. 1556. ſchola clauſtralis erecta & reformatio abſoluta fuit. Quod reſtat, annos Abbatum paulò aliter ponit Cruſius annal. Suev. P. 2. L. 9. C. 2. f. 308. 309. qui & C. 18. f. 364. 365. reliquias Lorchenſes recenſet.

dente Abbate Benedicto ſupra jam nominato A. 1556. ab Optimo Duce Chriſtophoro fuit abſoluta, ita, ut Monaſterio huic dein præfuerint Abbates Evangelici, quorum hæc ſeries eſt: Georgius Udal A. 1563. M. Abel Vinarius ſive *Weinlin* A. 1577. M. Jacobus Magirus A. 1602. D. Melchior Nicolai A. 1625. M. Jacobus Grab A. 1627. M. Jo. Jacobus Albich, qui tempore belli tricennalis Monaſterio ejectus fuit, reductis è Monaſterio San-Blaſiano Monachis Benedictinis, id quod factum A. 1630. ita, ut, licet anno inſequente Monachi à Suecis rurſus expellerentur, tamen iidem poſt cladem Nordlingenſem Monaſterium denuò occuparent, donec tandem & hæc Abbatia in pace Weſtphalicâ, pro quâ immortales gratias Deo O. M. jugiter agimus, religioni veræ prorſus fuit reſtituta. Poſt pacem Weſtphalicam Abbates hi Monaſterio præfuere Wendelinus Bülffinger A. 1650. Jo. Jacobus Mullerus A. 1662. Jo. Chriſtoph. Hingher A. 1669. Chriſtoph. Wölflin A. 1672. Joachimus Martini A. 1683. Georgius Burckhardus Knebel A. 1699. Michaël

Foertſch

Fœrtſch A. 1703. Jo. Wendelinus Bülffinger A. 1705. & denique inde ab A. 1713. uſque annum præteritum Chriſtophorus Zellerus, quem defunctum adhùc lugemus (r), ita ut inde à fundato Monaſterio uſque ad hæc tempora vixerint 37. hujus Monaſterii Abbates. Ipſum ædificium, uti jam dicere cœpimus, recentius eſt, poſt incendium à ruſticis priori illatum demùm ædificatum, uti inſcriptio docet, cujus verò poſtrema verba vetuſtas delevit.

Poſt Chriſtum ut natum ter ſecula quina abiere,
Vicenus quintus cùm inſuper annus erat,
Et ſexto Nonas Maji, terribile dictu,
Plangendum lachrymis luctiferiſque modis,
Cœnobium hoc flammis vaſtavit ruſtica turba (s).

\- - - - - - - -

Etſi

(r) Huic anno præterito d. 17. Sept. ex mandato Sereniſſimi Ducis noſtri EBERHARDI LUDOVICI, quem Deus amet! nos ſucceſſimus fidelitatiſque juramentum hoc ipſo anno Ludoviciburgi d. 16. Februarii præſtitimus.

(s) Confer Cruſii Annales Suev. P. 3. L. 12. C. 35. f. 818. itemque L. 10. C. 14. f. 593.

Etſi autem hujus Monaſterii Advocati primùm exſtiterint ipſi Imperatores Duceſque Suevi, Advocatia tamen ab ipſis Monachis A. 1291. fuit tradita Eberhardo, Wirtembergiæ tùm Comiti (t), cujus ſucceſſores dein jus hoc advocaticum ſuperioritate territoriali fœcundum retinuere uſque ad tempora reformationis, ubi A. 1556. ſacra mutata fuere, ita tamen, ut ultimo Abbati Pontificio Benedicto honeſtum fuerit datum victalitium, donec tandem A. 1563. diem obiit, nec bona tamen Monaſterii ad ſeculares uſus ſed ſacros eoſque præſtantiores fuerint deſtinata, dominiumque Ducum Wirtembergicorum, quod jam antea Ipſis cum jure ſacrorum competebat (u), in pacificatione religio-

C ſâ

(t) Vide Cruſii Ann. Suev. P. 3. L. 3. C. 11. f. 176.

(u) Conferatur ill. Bidenbachii *Gründlicher Beweiß, daß die Prælaten und Clöſter des Herzogthums Wirtemberg vor 90. 100. 150. 200. und mehr Jahren zu dem Land und Herzogthum Wirtemberg gehörig geweſen, der Herrſchafft und des Fürſtenthums Prælaten genennt und für unzertrennliche Glieder und Stände des Lands gehalten worden, in die Landstheilungen kommen, die Herrſchafft in Wirtemberg für ihre rechte Herrn erkannt und geehrt, vor denſelben Recht gegeben und genommen, Erbhuldigung geleiſtet, zu allen Landtägen beſchrieben worden, in*

sâ & Westphalicâ (x) ipsis fuerit solenniter confirmatum. Mirum hinc, venisse hodie Pontificiis in mentem, ut documenta ista Monasteriorum Wirtembergicorum rediviva, quæ Besoldus (y) edidit, Viennæ prælo

in Bestell- und Verwaltung des Regiments und andern muneribus, functionibus und der Herrschafft und dem Land angelegenen Consultationibus mit gemeiner Landschafft von Städten und Aemptern als Mitverwandte participirt und in allen Anlagen und Landsbeschwerden mit gehebt und gelegt haben, und demnach die jezige neuerliche Innhaber sich ganz vergeblich und ohne einig Fundament einer Immedietæt anmassen und vermessentlich für ungemittelte Reichsverwandte oder Ständ auffwerffen und eintringen wollen, auß etlichen der Zeit fürhandenen unverwerfflichen schrifftlichen Documentis ohne alle Passion zusamen getragen. 1645. 4. item *an die Röm. Kays. Maj. allerunterthänigste Anzaig und Bitt Anwalds Herzog Eberhards zu Wirtemberg auff ein von den Innhabern derer in Wirtenberg gelegenen Clöster und Stifftern per sub- & obreptionem außgewürktes verschlossenes Monitorium* 1641. 4. Habetur verò jam horum libellorum satis hactenus rarorum editio recentior eademque auctior. Quod restat, de *jure Principum Germaniæ, cumprimis Saxoniæ, circa sacra ante tempora reformationis exercito* egregiè scripsit Jo. Georg. Reinhardus. Halæ Magd. 1717. 4.

(x) Vide instrum. pacis Osnabrug. art. 4. §. 24. ubi ipsum quoque Monasterium *Lorch* nominatim exprimitur.

(y) Christoph. Besoldus, Advocatus primùm Dicasterii Tubingensis, postea Juris in hâc Universitate Pro-

lo reddiderint. Perorata enim dudùm per pacem Westphalicam causa jam est, sed &

 jus

Professor Ordinarius cùm post cladem Nordlingensem existimâsset, res Protestantium penitùs labefactatum iri, Pontificiis, licet religionem Romanam in *signis temporum* Tubingæ 1614. 4. editis atro prorsùs colore depinxisset, accessit, &, permissu Imperatoris Ferdinandi II. omnia documenta Monasteriorum, quæ in Ducali exstabant Archivo, quod ipsi tùm patebat, eruit, cum Monachis communicavit & luci deinceps tradidit. Nata hinc primò ipsius *Prodromus vindiciarum Ecclesiasticarum Wirtembergicarum sive succincta, in compendium redacta demonstratio, quòd Monasteria in Wirtembergiâ, quæ Imperator D. Ferdinandus II. jure & armis Deo & Ecclesiæ restituit, sint libera & à Ducum jurisdictione immunia*, deinceps etiam *documenta rediviva Monasteriorum præcipuorum in Ducatu Wirtembergico sitorum*, qui libri Tubingæ 1636. 4. prodiere & Viennæ nunc in folio recusa exstant. Ipse deinceps fidem Pontificiam professus Consiliarius Imperatoris & Electoris Bavariæ, itemque Professor Juris in Academiâ Ingolstadiensi creatus fuit, in quâ & obiit A. 1638. Causas apostasiæ enarravit in libro, cui titulus: *Christlich und erhebliche Motiven, warum* Christoph Besold, beeder Rechten Doctor, hievor bey der Fürstlichen Wirtembergischen Universitæt zu Tübingen, nun aber in der Chur-Fürstlichen Bayerischen Academie zu Ingolstatt Professor *vornemlich dafür gehalten, daß der rechte und einig seeligmachende Glaub allein in der Römisch-Catholischen Kirchen anzutreffen, derenthalben er auch auß eigenem Trieb seines Gewissens und zu Entfliehung ewiger Verdammnis zu solcher alten Catholischen Kirche sich begeben und all* ande-

jus Sereniſſimorum Wirtembergiæ Ducum in Monaſteria hæc ita inde ab antiquis temporibus fundatum, ut, cùm juriſdictionem & civi-

andere neu auffkommende Secten oder Lehren verlaſſen hat. Ingolſtatt 1637. 8. Motiva autem hæc refutavit Tobias Wagnerus, poſtea Cancellarius Tubingenſis in libro, cui titulus: *Evangeliſche Cenſur der vermeinten Motiven*, *warum* D. Chriſtophorus Beſoldus *ſich von der Evangeliſchen Kirchen Augſpurg. Confeſſion gewendet und zum Papſtthum getretten.* Tübingen 1640. 8. Cui refutationi ſanè quàm præſtanti Henricus Wagnerekius, Jeſuita & Cancellarius Dillingenſis oppoſuit *Catholiſche Gegen-Cenſur*, *d.is iſt*, *Rettung der Beſoldiſchen Motiven wider die vermeinte Cenſur* D. Tobiæ Wagneri. Ingolſtatt 1644. 8. Sed à Wagnero repoſita fuit *Evangeliſche Theologia Patrum*, *entgegen geſezt der gerühmten Catholiſchen Gegen-Cenſur* D. Henr. Wagnerecks S. J. *über die Religions-Motiven* D. Chriſtoph. Beſoldi. Ulm. 1647. 8. Quid verò olim & ipſi Beſoldo in religione Romanâ diſplicuerit, vide ex ipſius diſcurſ. polit. ſing. de informat. & coact. ſubditorum diſſ. 1. C. 10. p. 81. ſqq. Quod reſtat, de Beſoldo velim conferri laudatiſſimi Wagneri examen elencticum Atheiſmi ſpeculativi p. 83. 84. ex quo emendandus venit Arnoldus in der Kirch- und Kezer-Hiſtorie T. 2. L. 17. C. 3. §. 1. f. 451. Caroli Wirtenbergiſche Unſchuld P. 3. C. 6. §. 1. p. 417. ſqq. itemque Fiſchlini, Paſtoris hodie apud nos Kaltenweſtenſis memoriam Theologorum Wirtembergicorum P. 3. p. 172. ſqq. ex quibus emendari poteſt beati Speneri hiſtoria Pietiſmi §. 9. p. 19. quam & hîc ſequitur Arnoldus l. c. L. 17. C. 6. §. 8. f. 480. J. H. ab Elſwich epiſt. familiar. Theol. p. 198. 199. & Jo. Henr. à Seelen Philocaliam epiſtolicam p. 131. ſqq.

civilem & criminalem, jus item venationum, hoſpitationum, operarum ſervilium & ejuſmodi in hiſce Monaſteriis dudùm exercuerint, cùm eadem quoque tributa Iiſdem ſolverint, cùm Abbates inter ſtatus provinciales locum præcipuum obtinuerint, cùm ſuperioritas territorialis Ducum Wirtembergiæ & in hæc Monaſteria in legibus Ducatûs Wirtembergici fundamentalibus omninò fundata ſit, cùm denique & jus ſacrorum, quod Ducibus Wirtembergicis competit, & jus ſacra quoque ad verbum divinum reformandi prorſus ſecum trahat, quæ omnia dudùm demonſtrata à noſtris fuere (z), plurimùm utique ineptiat, qui armis dudùm obtuſis contra nos pugnare atque argumenta dudùm eliſa & refutata repetere ſuſtinuerit. Interim, cùm facile ſit, pervidere, quî fiat, ut maligni iſti libri Beſoldiani denuò imprimantur, noſtrum eſt, Deum ſuppliciter orare, ut Eccleſiam ſuam contra quævis adverſariorum molimina tueatur, ut res cauſamque Proteſtantium ſuo divino auxilio ſuffulciat, ut pacem Weſtphalicam, quam tanquam inſigne pro-

(z) Vide ſupra notam (u) p. 17. 18.

providentiæ & gratiæ divinæ pignus exoſculamur, ſartam nobis tectamque conſervet, ut vulnera cauſæ noſtræ illata ſanet, ut & quàm maximè noſtris Principibus animum magnum & fortem ad defendendas veræ Eccleſiæ partes ſummamque in tuendâ & profitendâ veritate Evangelicâ conſtantiam cœlitùs largiatur, atque pericula humeris noſtris incumbentia à nobis clementiſſimè avertere dignetur. Et faciet id quidem Deus rebuſque noſtris incolumitatem porrò & felicitatem adjiciet, ſi præſtantior evadat virtus & pietas noſtra, ſi ſanctiùs verbum Ipſius porrò habuerimus, ſi penitiùs in mandatis Ipſius ambulaverimus, ſi ſcandala quævis, quæ rem Chriſtianam corrumpunt, ſuſtulerimus, ſi fervor, ſi ſtudium veritatis & pietatis apud nos creverit, ſi digna ſint Evangelio noſtra, quæ præſtamus, opera. Videtis, ad quid jam divinitùs vocemini, qui ad ſanctiora ſubſellia mox properabitis, *præſtantiſſimi Domini Candidati.* Veſtrum jam erit, ita animos veſtros, ita mores componere & formare, ut in Eccleſiis, ut in gregibus ſacris Deo dicatis iſte finis, quem inten-

intendimus, obtineatur. Veſtrum erit, in tales Dei Viros evadere, qui & doctrinâ & ſanctitate fulgeatis & quorum precibus benedictio & gratia divina impetrari poſſit. Agite modò, & res veſtras, Deo juvante, egregiè agite, & longè adhùc præſtantior, imò infinitis modis præſtantior olim vos manebit laurea, ac iſta eſt, ad quam nunc, finitis veſtris humanæ ſapientiæ ſtudiis, contenditis. Sed nec hanc quoque vobis jam denegaverim atque difficilem reddiderim Cancellarius egomet, maximè, cùm à Spectatiſſimo Domino Decano veſtro mihi tàm luculenter fueritis commendati & collaudati. Itaque, ut ad rem ipſam mox progrediar, ad Te jam vela orationis meæ dirigo, *Vir maximè Reverende, Ampliſſime & Excellentiſſime, Domine JO. CHRISTIANE KLEMMI, Philoſophiæ Magiſter, S. Theol. Profeſſor publice extraordinarie, linguarum verò Græcæ & Hebrææ Ordinarie longè celeberrime, Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ Decane ſpectatiſſime atque ad hunc actum legitimè conſtitute Promotor, Domine Fautor & Affinis honoratiſſime*, &, quod

quod felix fauſtumque, quod Deo gratum, quod Eccleſiæ, quod Reipublicæ literariæ, quod almæ huic Univerſitati Academicæ, quod Ampliſſimæ Facultati Philoſophicæ, quod vobis denique, *doctiſſimi Domini Candidati*, honorificum & ſalutare ſit, ego Univerſitatis hujus Cancellarius, CHRISTOPH. MATTHÆUS PFAFFIUS Tibi, *Vir ſpectatiſſime*, ampliſſimam facultatem largior, præſtantiſſimis hiſce Dominis Candidatis, quorum nomina in programmate publico exſcripta video, tàm abſentibus quàm præſentibus lauream ſecundam h. e. ſummos in Philoſophiâ honores cum omnibus privilegiis hùc pertinentibus conferendi eoſque in Doctores & Magiſtros Philoſophiæ & bonarum artium evehendi creandique, id quod facio autoritate, quâ ut Cancellarius fungor, publicâ, ab Imperatoribus conceſſa & confirmata. Faxit Deus O. M. ut & hæc promotio in ipſius gloriam bonumque Eccleſiæ & rei literariæ publicum, Ipſo benedicente, evaleſcat.

D I X I.



